




Ducatus Geldriae novissima descriptio

<https://hdl.handle.net/1874/348715>



DVCATVS
GELDRIÆ
novissima descriptio.
Auctore
Balthazaro Flor. a Berckenrode.

AMSTELODAMI,
Sumptibus et typis auctoris
Henrici Hondij,
Anno Domini 1629.

Milliaria Germanica communia.
Milliaria Gallica communia.

III D 9 35

VIII Bg 35

Geldria Ducatus.

gens Comitem instituerat, quā Sigismundus imperator diremit possessionem; Adolpho Comiti Montenfi adjudicavit. Verum ducta in uxorem filia Ducis Iuliacensis, auxilio patris sui Ducatum Geldrensem filio Adolpho Comiti Bergenfi, Ruperto nomine, qui in matrimonium acceperat Viduā Reinoldi tertii Geldriae Ducis, vi & armato manu abstulit. Hic Arnoldus à filio suo Adolpho imperii cupidissimo in carcerem detrusus & post à Carolo Burgundo liberatus, duos tantum annos post carceris liberatione regnavit, Carolum hæredem instituit contumaci & rebeli filio Adolpho excluso. Per venditionem & institutionem itaque hæres factus Carolus usque ad annum LXXVI II, quo Nancii interiit, imperium tenuit. Post quem venit filia sua Maria ejusq; maritus Maximilianus, Frederici Imperatoris filius. Factum autem, ut Geldri ipsi Maximiliano negarint parere, quod indigne admodum ferens Princeps, magnis copiis succinctus, Biscumducis se contulit, tam insignem injuriā vindicaturus, unde attoniti statim Ordines Geldriae, ad sanitatem jam reversi, omnes sese Maximiliano dederunt ac debiti fidei sacramentum præsterunt. Verum Carolus Egmondanus Adolphi filius anno CX I per Geldriae Ordines, qui imperio Burgundionum jam pridem fatigati ex Gallia vocatus magnoq; omnium applausu Dux Gelriae & Zutphaniae renunciatus fuit, quem magna cum laude ad finem pene usque administravit. Tandem morbo tactus fatali Guilielmum Ioannis Ducis Cliviae filium instituit hæredem. Qui aliquamdiu imperavit Geldriae, verum cum magna Imperatoris Caroli Quinti indignatione qui illi quoque magnam partem Iuliacensis Ducatus detraxit; quo jure id factū, & quid inter illos pactum alibi diximus, nifallor in descriptione Iuliacensi.

Geldriae populi quondam valde fuerunt bellicosi, siquidem Romani non tam armis quam bellis verbis illos vincere studuerunt, quod facillime ex Tacito posset demonstrari. Appianus narrat quingentos Sicambros (qui Geldrenses sunt) quinque Romanorum equitum milia profugaverint, septingentosque & ultra trucidaverint. Non exiguum harum gentium, fortitudinis elogium & probitatis indicium. Legimus quoque sub Romanis aliquam Geldrorum copiam militasse civitatemq; ad Danubium condidisse ab Hungaris *Schambray* dictam juxta veterem Budam, quemadmodum ex verbis istis lapidi incisus, qui tempore Matthiae Corvini Hungariae Regis ex terra effossus, Lazio teste, colligere licet. Verba istius lapidis hæc sunt:

LEGIO SICAMBRORUM HIC PRÆSIDIO COLLOCATA CIVITATEM ÆDIFICAVIT, QUAM EX SUO NOMINE SICAMBRIAM VOCAVERUNT.

Verum multi arbitrantur hæc solummodo ornamenta esse. Nos relinquimus lectoris iudicio. Incolæ qui hodie Geldriam incolunt non minus bellicosi sunt, quā ejus majores fuere, quorum magnanimitas sicut in prioribus non extincta, ita in posteris non diminuta sed aucta videtur. Quod illorum humanitatem, morum suavitatem, doctrinæ præstantiam concernit, certum est, longe Majores suos superare; Quos Horatius feroces & cæde gaudentes nominavit, quem Martis rigorem necessitate coacti non minus hodie in hostes suos exercent. Hi Populi inter Gallos omnes fuere postremi, qui ævo Julii Cæsaris, jugum imperii Romani acceperunt, declinante vero Imperio, omnium primi denuo illud excusserunt. Et quamvis subacti deinde à Francis, tamen arrepta rursus occasione vindicarunt se ipsi in libertatem, ac regi ceperunt, uti supra diximus, ab indigenis patriæ suæ Dynastis.

Opida muris cincta numerat viginti duo (excepta Zutphaniam cum septem suis civitatibus, quæ proprium Comitatum constituunt) Noviomagum, Ruræmundā, Zutphaniam, Arnhemium, primarias terræ hujus urbes; Hattemum, Elburgum, Hardervicum, Vada five Wagingia, Tila, Bommelia, Bronchorstium, Doesburgum Doetecomium, s'Herenberga, Lochemium, Grolla Bredefortium, Geldria, Strala, Venlona, Wachtendonca & Herculanum. Sunt & alia quædam oppida, olim quidem muris circumdata, sed hoc tempore variis belli & fortunæ casibus, si non omnino, at magna tamen ex parte, spoliata, quæ quod mediocri etiam nunc conditione & loco sint, iisdem tamen privilegiis gaudent. Plus trecenti pagi sunt turriti. Ordines hujus Ducatus tribus membris constant Baronibus five Dynastis, Nobilibus & primariis quatuor urbibus, de quibus singulis breviter differemus.

Noviomagum, ut Gerardus Geldemhaurius oppidi hujus civis in Historia sua Batavica primum ejus conditorem asserit Magum fuisse, potentissimum Gallorum regem & Ditis filium, qui de suo nomine Magum eam vocaverit, sed venisse postea in has oras Batonem Catorum Regem, qui & amœnitate situs & loci antiquitate delectatus, oppidum jussit instaurari & pomarium ejus proferri adeoque triplici mœnium ambitu circumvallari, atque ab hac instaurazione Noviomagum appellaverit, voce idem profus valente *Nieu-magen* vel *Me-gben*. Ipse Geldemhaurius refert quod Betavos (quos ille Batavos vocat) hoc oppidum elegisse atque communi consensu pro urbe regia totiusque terræ metropoli constituisse. Quemadmodum igitur hæc civitas simul imperii pes vocatur, propterea (ut quidam scribunt) quod Carolus Magnus eam constituit unam, è tribus in hæc Provincias Imperii sedem: quarum primaria quidem Aquifgrani, tertia vero Divoduri, five Theonis-villæ in terra Luxemburgensi. Verum utcumque se res habeat, illud quidem satis constat, urbem esse perantiquam & adjacere ei Rheni fluminis alveo, qui Vahalus dicitur, vasto inibi atque multum profundo; præterea pulcrum, potentem, validam, ac non civibus minus, quam opibus affluentem. Quæ postquam parere cepit genti Austriacæ, cives militiæ magis, quam pacis artibus prius intenti; Mercurio postea & Minervæ facti sunt consecrati. Primarium ejus templum Divo Stephano sacrum, ex cuius cœmiterio annis aliquot retro lapis prægrandis effossus, cui vetustis admodum characteribus insculpti sunt hi versiculi.

Anno milleno postquam salus est data seculo, Centeno juncto, quinquagesimo quoque quinto: Casar in orbe situs Fredericus pacis amicus, Lapsus, contractum, vetus in nihil ante redactum Arte, nitore pari reparavit opus Novimagi. Iulius in primo tamen extitit ejus origo, Impar pacifico reparatori Frederico.

Inter alia vero urbis ornamenta excellit potissimum antiquissima quædam & pulcherrima arx, monti inædificata & supra reliquam urbem præeminens, quam conditam asserunt ab Julio Cæsare. Inventa sunt in hac urbe & suburbano ejus tractu ante aliquot annos varia Veterum Romanorum monumenta, puta, nummi quamplurimi & sumptuosorum operum tumulorumque lapides, præsertim ad eam Vahalus ripam, in qua olim creduntur egisse ordinaria Romanorum præsidia: unde ipse locus urbi pene contiguus, hodie Teutonico idiomate audit *Den Roomschen voer*.

Gaudet Neomagum titulo vice Comitatus, estque feudum & oppidum Sacri Romani Imperii, cui, sicut & cæteris liberis urbibus, monetæ pro arbitratu cudendæ jus est; unde nec appellatur istinc ad Cancellariam Geldriae,



G E L D R I A D U C A T U S.

Nominis origo.



GELDRIA hodie *Gelderland*, quondam (ut quidam scribunt) *Pontis* dicta, primumque sub Carolo Calvo Gallorū rege anno 878 ad Dynastiam ascendit. Primus ejus Dynasta (Guicciardino teste) fuit *Wichardus de Pont*, qui una cum fratre exstruxit Castellum *Pont-Gelre* dictum, quod nunc ipsa civitas Gelria est, à qua tota regio nomen accipit: quanquam hujus nominis originem alii scriptores deducant à Gelduba civitate quondam ad Rhenum secundum Tacitum posita, quæ tamen temporis successu ita periiit, ut ejus nulla amplius memoria exstet. Alii commentantur Cæsares prædicti ætatibus, in hac regione certum aliquod animal natura ferox & venosum sub arbore quadam cubasse, cui mos erat neque hominibus neque aliis animalibus parcere, verum omnia quæ illi obvenerant, dilacerare & deglutire, sine ullo discrimine, ita quidem, ut incolæ omnes aufugerent & in speluncas se abderent. Advertentibus hoc malum duobus filiis Domini de Pont calliditate hanc letiferam bestiam prevenerunt, & post longas dimicationes vicerunt. In cuius rei memoriam Dominus prædictus de Pont Castellum non procul Mofa erexit ad confluentē Niersam fluvii, quod *Gelre* appellavit, & hoc ob illam causam, quod Bestia illa immanis sic clamare consueverat. Quantum ad hujus rei fidem attinet, relinquimus hanc iudicio legentis. Marlianus & Munsterus scribunt, regionem hanc Julii Cæsaris tempore à Menapiis incultam; alii ab Sicambriis. Verum hanc controversiam offerimus dirimendam Geographis & Cosmographis, & nos convertimus ad hujus terræ limites.

Termini.

Hæc terra à Septentrione Transsalianam una cum sino illo quem hodie vocant *de Zyder-zee*, habet; ab Austro partim Mofa alluitur, qui à Brabantia eam distinguit partimque terræ Iuliacensi connectitur; ab Ortu tam Rhenum quam Ducatum Cliviae intuetur, qui & ipse hunc tractum in duas est inæquales partes distinguit; ab Occasu denique, qua rectissime versus illum porrigitur, Hollandiam respicit & ditionem Ultrajectinam. Solum ejus planum est & parum montosum, sed amœnis admodum & fructuosus memoribus densum, inter quæ excellit potissimum Echterwaldia versus Borholybicum ad Arnhemium. Ager passim omnigenæ fetgetis & imprimis tritici feracissimus; pascuis quoque nonnuquam & oportunos admodum pecori, cuius ingens hic multitudo. Speciatim vero ad Rhenum Vahalim, Mofam, uberrima sane & commodissima occurrunt prata. Aërem habet purū & bene temperatum. Fertilitas tamen terræ hujus non ubique est eadem, siquidem versus Velaviam magis collibus affurgit & sterile scit.

Imperium majorum.

Olim imperabant Geldriae ante tempora Ottonis de Ponte, & filiorum ejus Lupoldi & Winchardi, Domini Austriacæ domus. Nam Martinus Austriacæ dominus filium habuit Lambertum nomine, de quo primi Geldriae rectores exorti sunt. Anno 751. (uti Richardus Waffeburgius refert) hæc provincia regebatur à Guido,

vel (uti aliis placet) à Leopoldo natu minore prædicti Lamberti. Carolus Magnus Neomagum tum temporis Geldriae metropolim multis ornamentis ornavit, posterisque concessit, eo usque, donec Domini de Pontis regimen susceperint illudque hæreditarium fecerint. Proflapiam Rectorem five Dominorum hac vice non adeo longe deducemus, verum præterita ista dominique de Pontis, ac Gubernatoribus Wichardo, Gerlaco, Godofrido, Mengoso, Wiburgo; Regimen ab ipso Ottone Nassovico auspiciamus. Hic ducta in conjugem Wichardi tertii unica filia Adelheida, factus est omnium hujus Provinciae Dynastarum primus ab Henrico Imperatore ejus nominis tertio anno Christi 1079. exornatusq; est titulo dignitateque Comitatus Geldriae; & Adelheide priori uxore defuncta, matrimonio sibi conjunxit filiam natu majorem Gerlaci Comitatus ac dynastæ, qui prælio inter Conradum Episcopum Trajectensem & Henricum quintum Hollandiæ Comitem cæsus est; unde factum, ut ditio ejus cum reliqua Gelria coalerit. Ottoni ordine successerunt Comes isti Gerardus nempe & Henricus & alter Gerardus & post eum Otto secundus cognomento Loripes; Is ditioni suæ adjecit Neomagum, Ruræmundam, Arnhemium, Hardervicum, Bommeliā, Wagingiam, loca provinciæ Gelricæ; Gocham item in terra Clivenfi omnia prius aperta & pagorum in modum civis aperta potentia, anno circiter 1229 muris & mœnibus cinxit ac civitatum privilegiis impertivit. Scribunt Chronographi Hollandiæ Comitem Wilhelmum qui tum temporis Imperatoris titulum jactitabat pro magna pecuniæ summa Noviomagum oppignorasse Ottoni ea conditione, quod, si ille intra constitutum termini diem hanc summam non redderet, Otto & ejus hæredes in perpetuum oppignoratam civitatem retinerent. Ottoni successit Reinoldus filius; Reinoldo rursus filius patri cognominis, qui ab Imperatore Ludovico Bavaro, Comitibus Francofurtensibus anno 1339 donatus est dignitate Ducatus, quam dignitatem iisdem Comitibus consecutus est & Reinoldi cognatus Comes Iuliacensis. Cum jam prædictus Reinoldus duodecim annos regnasset magnum ortum est dissidium inter ipsum & fratrem suum Eduardum natu minorem, qui illum in acie vicit decemque annos captivum tenuit. Mortuo Eduardo bellum denuo intestinum exarsit, diversis partibus causam sororum Margaretae & Mariæ tutantibus, quod tam diu duravit donec Margareta sine liberis obierit. Quo tempore Guilielmus Mariae filius, Juliae Dux ad Gelriae & Zutphaniae Ducatum vocatus est. Huic succedebat frater ejus Reinoldus IV, qui etiam sine liberis mortuus. Qua de causa soror ejus Maria nupta Joanni Arkelensi cui natus filius Guilielmus, Ducatum hunc ad se trahebat. Post Joannis obitum secutus est Guilielmus mox dictus qui Gorichomii jugelabatur, nullis liberis post se relictis. Idcirco soror ejus Maria transportavit dotis loco hunc Geldriae Ducatum Marito suo Joanni Egmondano, Domino Betaviæ. Hic genuit filium, Arnoldum nomine qui aliquam controversiam super Geldriae Ducatu contra Adolphū Bergen-

P.

gen.